

Y, 18.

41567.

AD

VIRVM MAGNIFICVM, SVMME REVERENDVM
AMPLISSIMVM, DOCTISSIMVM,

CAROLVM CHRISTIANVM
TITTMANNVM

S. S. THEOL. DOCT. PASTOREM AD AEDEM S. CRVCIS PRIMARIUM,
DIOCESEOS DRESDENSIS EPHORVM, SACRI SENATVS
ASSESSOREM,

A. D. III CAL. OCT. MDCCCLXXXIX.

INITIA SACRI MVNERIS CAPESSENTEM,

CARMEN GRATVLATORIVM


HENRICI GODOFREDI REICHARDI

A. M. A. SCHOL. PROV. GRIMM. COLL. III.

LIPSIAE

EX OFFICINA EVESCHELIA.

9.



Postquam visceribus summos conceperat imis
Dresa sui subito REHKOPFI funere ludus,
(Cuius lustra duo fuerat vix via docentis
Doctrina, ore pio, exempli et grauitate filubri)
Quum iam disiperet, de tot doctoribus, anceps,
Saxoniae quos alma sinu souet ora patenti,
Cuius onus securè humeris imponere posset
Speclati, qui illi posset par esse ferendo:
Hem! quantos memini plufuls, TITTMANNE, cieri
Vrbem per totam, TE successore vocato
Per non discordis suffragia cuncta Senatus!
Seilicet haud dubitis TE quilibet ordo genusque
Signabane votis habitantum: TE aula, sacerdos,
Ciues, quin rufis et plebeula; denique quis non,
Occurrent aliis tunc intra moenia Dresdae:
O virinam, dixit, Princeps velit atque Senatus,
TITTMANNUS nostrae ansiles contingat ut urbē!
Annuit euentus, verum monstrauit et omen.
Nam vix transferant REHKOPFI a morte repenti
Hebdomades ternae, Dresdenis praeful ut eses,
Vnamimi quum iam cunditorum en! voce vocaris,
TE que sacri partem Princeps iubet esse Senatus.
Sed quam quaeſo, mihi mentem, TITTMANNE VERENDE,
Nuncius hicce mesas ut prium venit ad aures,
TUTE faſſe putas, quo cum sine fraude tot annos
Diffidioque TIBI communia cuncta fuerre?
Quem TV sincero semper comp'exus amore es?
Sed, qui virtutum impulsus splendore TVARVM,
Perugiliſt studi, doctrinae, animique modeli,
Suspexi, colui TE, dilexique vicilim?
O quam iucundo mihi sentio Care, cieri
Sanguineos fontes circum praecordia motu,



Mens mea praeteritos quoties sibi denuo sisit
Ordine, percentsque imis penetralibus, annos,
Quam nos materno per amanter vrumque souebat
Lipisia docta sinu; quam pendebamus vterque
ERNESTI nostri, summi doctoris, ab ore,
Sive veteris, quae Graecis atque Latinis
Insunt coicibus, docte monumenta virorum
Praelegeret cupidis, seu gelas tempore priiso
Res enarraret veterum de fontibus ipsiis,
Seu diuinorum dux interpresque fidelis
Librorum, sacras doctrinas inde doceret
Ducere mente pia, vitae et praecepta beatae;
Quum, spretis, iuuenium quis fert Academia vulgo
Delicias, cynthias, ludo, leuibusque choreis,
De rebus longos sermones caedere daatis
Saepe solebamus, conferre et mutua dicta,
Vtilibus potius querentes fallere tempus
Colloquio vacuum, quam stulte et prava loquendo,
Heu! quam nunc aliter tractat studiola iuuentus,
(Si studiofa modo est) quis verbo amplectitur, artes
Litterulasque bonas, re prorsus negligit ipsa!
Quis iuuenium Graecis monumentis atque Latinis
Serius invigilat? Quis scripta Hebraea volat,
Nec potius chartas, nimium peccare docentes,
Scenicas, fabellas, Erycione melle repletas,
Scriptaque bardorum quorumque nouissima queaque
Sedatur cupide, aut, si vult praeclarus haberi,
Voluit Ephemeridas centum, librosque diurnos
Hisque obiter lectis, quasi iam sapientior, esse
Quantiuis pretii et doctum se credit abunde?
O laevis hominum mentes! O peccato cæca!
Nos aliter quandam; neutrum, scio, poenitet vnguam.
 Ut nos confilio supremi prouida cura
Numinis arcano, diuersa in parte locandos,
Me Grimmae in ludum, TE Christi ad verba docenda

Thuringenum in fines ac pinguia rura vocauit,
Hem! quam tunc animo TV dogmata sacra fideli
Tradebas populo! Quam sacra volumina nauis
Affiduo studio longoque labore legebas,
Vt posses etiam scriptis cum laude libellis
Doctrinæ ingentis maturos edere fructus!

Haec TIBI fedulitas aditum patetfecit, vt inde
Aptus habereris maioribus, atque docendi
Suprema in cathedra munus TIBI grande daretur.
O! ego laetitiae quertos sub peccore motus
Senfi, quum summos meritis tribuebat honores
(Quis ornat fundam doctrinam ex arte professo)
Lipisi docta TVIS! Aderam spectator, et hisce
Auribus atque oculis artis laudumque TVARVM
Sincero dulcem capiebam peccore fructum.
Bis septem hinc annos iam religionis aitiae
Doctorem egregium TE Leucoris alma tenebat,
Quis ore et calamis, et (quae valet omnia) vita,
Praepositus duplicit templi Antillesque, salubrem
Doctrinam summa cum fedulitate iuabas.
Hem! Quantos isto concursus tempore toto
Cernebas iuenum, TVA pulpta circumstantum,
Et fidei vitaque piae praecepta docenti,
Codicis aut sacri pandenti verbaque resque
Obscuras, aduentum TIBI pechus et aures!

In me quanta TVI porro documenta fauoris
His annis habui! Quoties mihi missa repente
Abs TE mordaces amouit epistola curas,
Exaltando animos inspiratura labori!
Quid miruu, aliqui cupidus, si hoc temporis orbe
TE quater inuisi? si me nec nimbus et imbre,
Nec frigus, canaque nubes, glacieue tenebant,
Longius auelli ut blando a sermone TVORVM
Amplexusque TVI summa dulcedine possem?

Nunc TE Dresda vocat; per Dresdam (crede loquenti)
Ipse Deus, populum de religione docere,
Et curare Scholam, partemque suarum esse Senatus,
Quamvis ibi, quaequo, campus TIBI panditur, in quo
Cursibus assiduis SVA se efficerat inclita semper
Cum pietate fides, honestas, prudencia, virtus!
Scilicet alloquio dulci ac praesente leuabis
Auxilio viduas, carique parentibus orbos
Oppressisque teges, blandis solabere verbis,
Quis moeror euraque graues praecordia rodunt,
Indolis egregiae iuuenes, queis igneus ardor
Ingenii est, recti mores, industria pernox,
Verum angusta domi res, nec pretiola fupellex,
Commendare TVA summis, grauitate patronis
Cessabis nunquam, et quauis ratione fovebis.

Denique, quod summum est, ne quid gratissima caele
Relligio, nobis quam sacra volumina pandunt,
Peruerfi, labis trahat a squaloribus aei,
Cum magno HERMANNO (patriae hem! quo lumine nostrae,
Quem pietate pari vt patrem veneramur vterque!)
Perwigili studio, cura, et pietate cauebis.
Hoc genere in solo, quae, quanta, et qualia monstra
Impugnanda sient effreni hoc tempore VOBIS,
Vix, mili si linguae centum sint, oraque centum,
Enumerare TIBI verbisque exponere possem,

Non etenim ignoras, his in regionibus esse,
Santa quibus diuinorum decreta librorum
Displicant, cultusque Dei, quem publica pridem
Lex patriae sanxit, quique optent cuncta nouari,
Sunt alii contra, (nihilo pars easlior illis)
Qui, sanctae studium vite quam nobile cernant
Principibus placuisse viris, vnumque probari,
Heu! Curios simulare velint, cernentibus istis,
Curui ac defixis ad humum gradiantur ocellis,
Ac tergo inflexo; sed postquam contigit ipsis,

Quod petiere, sacerum munus, mutatus ab illo
Multum gestus adest, et Bacchanalia vivunt.
Hocce saceri fraterno compescet vtroisque
Vox TVA, ne irrepant, neu sacris coetibus obsint.
Sic quoque TE tangere nostrarum cura scholarum;
Ne noceant errorum ipsis commenta novorum,
Foeda vel impietas, vel, que est exorta repente,
Teutoniae et miro ciuit sapientia motus,
Verborum obscura dum feso nube recondit,
Spilla magis tenebris, acubus sed acutior ipsis;
Quae si progressus, vii coepit, fecerit aequos
(Nam cathedras paene ac subsellia cuncta replevit)
Nec paene infantes ad nostri lumina facili
Reddet Aquinates mox, Lombardosque, Scotosque,
Durandosque, omni monachorum cum grege nigro;
Praclaris vitiani non et simul inferat altum
Artibus ac studiis, ^{adspue} immiedicabile vulnus,
Quis facilis semper, popularis, comis, aperta
Philosophia placet, non caecis abdita verbis,
Barbaricis terrens cultores vocibus omnes,
Nam sic Socratis edotae, tempore prisco,
Finixerunt chartis Cicerones, atque Platones,
Atque Sadoletos, quorum diuina virorum
Quis non cum summa dulcedine scripta reuolut?

Verum ad TE redeo; TV, fortunante Jehoua,
Cuitis, qui ingruerit, fortasse medebere morbo,
Et facies, vt sint bene fortisque testaque queuis,
Praefertim, illorum, quos inter vivere perges,
Vnanimi plausu et communis adjutus amore,
Quis, qui iam nouit TE, non miratur amatque?
Quis, nondum visum, vt primum vidisse licebat,
Non capitur frontisque TVAE vultusque decore?
Sie nuper factum, adspicu quum Grimmia potenter
Exhilarata TVO est, quam, blandae altricis habentem
Instar (namque aliut senos TE largiter annos)

Post prope viginti vicesbas laetus aristas.
Quam tunc laetitiae sensus iucundus alumno
Vnicuique fuit, pariter nobisque magistris!
Quam blanda et TVA vox, qua, TE cuiusque saluti
Patronum verae, dicebis, esse futurum!
Huic igitur TV porro scholae ne, quæso, fauere
Defines nec valido prorsus tutamine fretam
Praesidioque TVO, fautor desite tueri.

TE modo, totius qui temperat orbis habenas,
Et solus qui cuncta potest, cui caelica cordi est
Religio, incolumem cara cum stirpe TVORVM
Seruer in haud paucos annos, onerique ferendo
Sufficiat vires, longam et vegetamque senectam,
Ut, quæ rite facis, fat longo tempore praestes.

Me (noui, atque virinam tam certo alia omnia nossem?)
TV certe haud minus, atque olim, constanter amabis,
Atque fauore TVO veterem dignabere amicum.

Interea hocce meum nostri lectoribus aequi
Testatum faciet carmen, seruoque nepoti,
Quanti TE faciam, TE sim facturus et vsque,
Dum rebus tandem humanis exemptus uterque
Ad paradisiacas sedes ac regna piorum,
(E quibus errores, rixae, et genus omne malorum
Exulat, at secura quies, paxque aurea mentis
Iunctaque amore fides, ac dia scientia regnant)
Transuelli, damoto lacremur sine beati,
Atque uno benefacia Dei communiter ore
Et decus, et laudes, maiestatemque canamus.

Pon 2f 106 7

2v

f

ULB Halle
004 178 165

3




IA-702

an 2 u. an 3 noch nicht aufgenommen

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

Farbkarte #13

B.I.G.



AD

VIRVM MAGNIFICVM, SVMME REVERENDVM
AMPLISSIMVM, DOCTISSIMVM,

CAROLVM CHRISTIANVM TITTMANNVM

S. S. THEOL. DOCT. PASTOREM AD AEDEM S. CRVCIS PRIMARIUM,
DIOCESEOS DRESDENSIS EPHORVM, SACRI SENATVS
ASSESSOREM,

A. D. III CAL. OCT. MDCCCLXXXIX.

INITIA SACRI MVNERIS CAPESENTEM,

CARMEN GRATVLATORIVM

HENRICI GODOFREDI REICHARDI

A. M. A. SCHOL. PROV. GRIMM. COLL. III.

LIPSIAE

EX OFFICINA BVESCHELIA.

9.